MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVARUM DEI

CATHARINÆ A PALLANTIA

ET

JULIANÆ A BUSTO ARSITIO

Monialium Ordinis SANCTI AUGUSTINI

BEATARUM nuncupat.

RESPONSIO

AD

ANIMADVERSIONES

R.P.D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de Cultu ab immemorabili tempore præstito BEATIS CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, *& casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII., itaut Sententia lata per DD. Judices delegatos a cl. me. Card. Benedicto Odescalcho Archiepiscopo Mediolanen super eodem immemorabili Cultu, & casu excepto sit confirmanda in casu &c.*

Eme, & Rme Dne.

REv. P. D. Fidei Promotor, præmissa brevi relatione status præsentis Causæ, nonnullas in suis Animadversionibus relevat difficultates contra validitatem Processus Apostolici, aliasque plures contra cultum ab immemorabili tempore exhibitum Venerabilibus Ancillis Dei CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, BEATIS nuncupat.; at hisce objectionibus minime obstantibus, *affirmativum* responsum ab Emorum Patrum benignitate, & justitia consequuturos, confidimus, eò quòd nullatenus dubitari valet de validitate Processus, & antiquissimus cultus per centum annos ante notissimam Constitutionem Urbanam exhibitus præfatis Beatis Dei Ancillis solidissimam habet firmitatem, ut infra ostendemus.

2 Levissimi momenti sunt duo defectus deducti contra validitatem Processus Apostolici, veluti apertissime liquet ex ipsis met Animadversionibus; primus siquidem consistit in eo, quod copiæ documentorum *compulsatæ in Processum non fuerint conscriptæ ab Amanuense deputato a D. Judice, prævie eidem delato juramento, sed illas jam exaratas Causæ Procurator exhibuerit*, ut in *Animadvers.* §. 3.

3 Corruit illico promota exceptio, dummodo perpendatur, quod tota vis documentorum, & jurium, quæ inseruntur in Processibus, non dependet ab illorum transcriptione per Amanuensem deputatum, & juratum confecta, sed tota vis dependet a fideli, & legali auscultatione, & collatione copiæ cum authenticis originalibus, prout ingenue fatetur etiam ipsemet R. P. D. Fidei Promotor, & sicuti firmat sa. me. Bened. XIV. *lib.2. de Beatific. &c. cap.* 50. *num.* 1., ubi agendo de transcriptione Processus, ait, quod ad hanc conficiendam quilibet, ac etiam Causæ Procurator eligi valet, eò quòd *vis in casu, & ad finem, de quo agitur, non stat in excriptione, sed in auscultatione, & collatione*; id quod repetit *cit. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 3. circa finem, ubi agit de compulsatione jurium, & documentorum; cum autem auscultatio, & collatio documentorum, quæ fuerunt in nostro Processu inserta, diligentissime fuerit expleta servatis omnibus juris solemnitatibus, veluti admittit idem R. P. D. Fidei Promotor, relevatus defectus nihil obumbrat prædicti Apostolici Processus validitatem.

4 Alter vero defectus promanat ex eo, quod *Scribæ, seu Amanuenses deputati ad exemplandum Processum juraverint quidem de fideliter adimplendo munere, non autem de servando secretum*, veluti in *Animadvers.* §.4. Nos abstinemus a solutione hujus difficultatis, eò quòd idem R. P. D. Fidei Promotor agnoscens illius levissimum pondus, eam semper fuisse ab hac Sacra Congregatione contemptam fatetur; Ideo ad enucleandas exceptiones propositas contra relevantiam, seu antiquitatem publici cultus exhibiti Beatis Dei Ancillis gradum facimus.

5 Verùm antequam accedamus ad vindicandam hujusmodi cultus antiquitatem, & soliditatem cujuslibet dicti cultus speciei, quatuor prius demonstranda putamus. *Primo* scilicet, historias vitæ utriusque Beatæ esse sincerissimè conscriptas ab oculatis Testibus, ideoque illis præstandam esse plenissimam fidem. *Secundo*, quod nihil fidei detrahit historiæ Beatæ Catharinæ defectus nominis certi Auctoris. *Tertio*, quod quamvis exemplum historiæ utriusque Beatæ insertum in nostro Processu Apostolico non fuerit extractum ab originali, sed a copia, nihilominus omnem promeretur fidem. *Quarto* demum, quod copiæ præfatarum historiarum, a quibus extractum fuit exemplum compulsatum in nostro Processu Apostolico gaudent antiquitate requisita ad constituendam plenam probationem in id generis Causis, prout desiderat R. P. D. Fidei Promotor.

6 Ad *primum* quod attinet, sinceritas historiæ Beatæ Catharinæ, ab oculatis Testibus extensa, dignoscitur ex ipsius lectura, initio enim ejusdem, *Summ. pag.*17. §.8. hæc leguntur = *Nuy serve indegne de Yhu Xpto per consolatione de le anime amatrice de Dio &c. Abiamo deliberato narrare parte de la vita de questa Beata Vergine Katherina extorta dalla sua bocha avanti ch' la passasse da questa vita presente. Onde ch' più volte questa Beata Vergine da noi richeduta ne ha dicto &c.* & post narrata ipsius vitæ exordia ab ejus ore didicita, referre prosequuntur illius virtutes suis propriis sensibus perceptas, veluti legitur *Summar. pag.* 21. §. 50. ibi = *con grandissima humiltà pregava noi sue filiole spirituale &c.*, & *pag.* 22. §. 63. ibi = *Noi &c. non se maravigliaremo de le sopradicte cose, perchè havemo con li nostri sentimenti ha-*

ti havuta experientia &c. & *pag.* 25. *post §.* 93. ibi = *faceva dire noi sorelle soe molte oratione &c.* = ac similia alibi passim; ex his autem patet, quod historia Beatæ Catharinæ sinceram continet veritatem enarratam ab oculatis Testibus, qui alii certissime non fuerunt, quàm illius Sociæ, veluti etiam judicat cla. me. insignis Card. Fridericus Borromæus in suo opere, cui titulus: *de amore virtutis*, in quo *Proc. Apost. fol.* 1057. hæc leguntur = *scriptum autem illud ipsum* (historia nempe B. Catharinæ) *quantum existimare licet ab Sororum aliqua confectum fuit, quæ sapientia, ingenioque cæteras antecedebat*. ;

7 Nos autem auctricem præfatæ historiæ constituimus Sororem Benedictam Bimiam ipsius Beatæ alteram ex Sociis, tum quia stylus illius fere correspondet stylo historiæ Beatæ Julianæ a præfata Sor. Bimia certo conscriptæ, tum quia ejus fortasse dictamine præfata historia scripta fuit, quamvis ipsa onus non assumpserit, illam scribendi proprio charactere, prout colligitur ex verbis ipsius Card. Friderici Borromæi citatis *in Animadver.* §. 7. *in fin.* ibi = *Nomen quidem unius, cujus hortatu scripta vita illa fuit, extat Benedicta Bimia, eaque secunda Monasterii Antistes fuit; sed nomen illius, quæ scribendi laborem sumpserit adhuc inveniri non potuit* = tum demum quia communis est traditio, prædictæ historiæ auctricem fuisse præfatam Sor. Bimiam, veluti testantur Testes *in Proc. Apost.* inter quos Testis I. *Proc. fol.* 135. *ter.* & *seq.* ibi = *Gli Autori da me citati sono il Morigia &c. l'Opera della Madre Benedetta Biuma Monaca dell' istesso Monastero, e seconda Abbadessa del medesimo, nella quale narra la vita, virtù, e prodigii d'ambedue le sudette Beate Catarina, e Giuliana* = Testis IX. ex officio *d. Proc. fol.* 469. *ter.* ibi = *Quanto hò detto fin' ora delle due Beate &c. l'hò ricavato da varii manoscritti &c. e specialmente dal manoscritto della Ven. Biuma nel principio del secolo quinto sopra millesimo* = Testis X. ex officio post narratas virtutes Beatæ Catharinæ *Proc. fol.* 492. *ter.* inquit = *come hò così letto in manoscritti delle sue Compagne, ed in una copia del manoscritto della Madre Benedetta Biuma* = & *fol.* 496. ibi = *Li manoscritti sono stati fatti dalle Monache compagne delle suddette Beate &c. a quali si presta tutta la fede da uomini savj, dotti, e prudenti, e da qualsivoglia altra persona, che l'abia veduti*.

8 Historiam vitæ Beatæ Julianæ exaratam pariter fuisse ab oculato Teste, manifestissime patet illius initio *Sum. pag*: 34., & *seq.* §. 154. ibi = *Me sono ricordata de la sancta memoria de la devotissima Sorore Juliana nostra advochata, e mia. Et con lei ho dormito molti anni in una medesima cella. Et ho cognosciuto molti delli soy secreti ad altre persone incogniti. Mi sono aduncha mossa con uno desiderio de scrivere la sua santa conversatione* = & §. 155. = *Et vostra Riverentia* (scilicet Confessarius, cui directa fuit eadem historia) *sia certa, che niente scriverò, se non quello ho visto con lì miei proprii hogii, e dalla sua bocha oldito &c.* = ejusque auctricem fuisse Sororem Bimiam, patet ex propria subscriptione apposita in fine, ut in *Sum. pag.* 41. *init.* ibi = *la vostra indigna fiola spirituale Soror Benedetta da Bimio con humile riverenza* = prædictis igitur historiis, quæ a Testibus oculatis scriptæ fuerunt plena præstanda est fides, prout nemo negabit, & firmat sa. me. Bened. XIV. *cit. oper. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 9. ibi = *Primum tamen fidei, & auctoritatis pondus profecto debetur Historicis, qui res scripserunt, quibus interfuerunt, vel quas ab eis, qui viderant, audiverunt*.

9 Quod *secundum* respicit, nil profecto officit, quod incertum sit, ac ignoretur, veluti innuitur in Animadversionibus, nomen auctoris historiæ Beatæ Catharinæ, nam cum præfata historia, ut supra ostendimus, fuerit exara-

 ta ab

ta ab oculato Teste, & in eadem narrandi sinceritas evidentissima sit, concludentissimam adstruit probationem, prout strenue probant Auditores Rotæ *in relat. Causæ* B. Gregorii X. apud cit. sa.me. Bened. XIV. *tom.7. Oper. edit. Rom. pag.* 393. ibi = *Quod Historiæ, & Chronicæ probent, & illis sit standum dixerunt Gloss. &c. quorum Dicta procedunt* ETIAMSI CHRONICÆ, VEL LIBRO HISTORIALI NON REPERIATUR INSCRIPTUM NOMEN AUCTORIS, *Pavin. &c. Felin. &c. & prædictas conclusiones Majores nostri secuti sunt in relationibus SS. Bonaventuræ &c. ex quibus credimus de illis in præsenti non posse dubitari*; & idem Pontifex *lib. 3. cap. 9. sub num.* 2. ubi affert exempla Causarum, in quibus etiam *in Dubio virtutum, & Martyrii in specie* ad probandum admissæ fuere historiæ ab ignotis Auctoribus conscriptæ, in hæc verba = *Profecto, quando in Sac. Rit. Congregatione agebatur de virtutibus S. Julianæ de Falconeriis, & de Martyrio S. Joannis Nepomuceni, ipse tamquam Fidei Promotor inter cætera opposui, contemporalibus monumentis fidem præstandam non esse, quòd Auctorum nomina ignorarentur; eademque oppositio facta est ab Archiepiscopo Philippensi Fidei Promotore, dum agebatur de virtutibus B. Joannis Cantii*, SED AB HAC SACRA CONGREGATIONE OPPOSITIO HÆC NEGLECTA FUIT, *utpote vindicata a Postulatoribus monumentorum sinceritate &c. itaut nil suspicione dignum in eis reperiri potuerit* = Et prius *cap. 8. num.* 19. ibi = NOMINIS DEFECTUS *a me tamquam Fidei Promotore oppositus manuscripti codicis* AUCTORITATEM NON INFIRMAVIT.

10 Pro eo quod spectat ad *tertium*; nihil profecto refert, quod exempla utriusque historiæ inserta in Processu non fuerint extracta ex autographis; nam hìc non agitur de legalibus instrumentis, quorum originalia, ad fidem eisdem præstandam, exhibenda sunt, sed agitur de manuscriptis, quorum copiæ cum fuerint a pluribus annis, imo a sæculis fidelissime, ut firmant Periti in Processu examinati, confectæ, ac fidelissime etiam custoditæ in archivo Monasterii sacri Montis Varisii, prout verificatur de historia Beatæ Catharinæ, & in insigni Bibliotheca Ambrosiana Mediolani, sicuti inquiunt de historia Beatæ Julianæ, profecto omnem promerentur fidem, & ad vim probationis constituendam admitti debent, eo magis quod habetur constans traditio, utramque historiam in prædictis locis custoditam compilasse alteram ex sociis Beatarum, imo supradictam sororem Bimiam ex proxime deductis; qua traditione attenta, mirifice casui nostro aptatur id quod Petrus Constant. *par. 6. vindiciarum cap.* 1. in hæc verba docet = *Relictos a Majoribus nostris libros tamdiu pro genuinis, pro integris, pro certis ipsorum fætibus habere decet, quandiu non constat, spurios esse, adulteratos, aut incertos, graviterque peccat qui receptum a Majoribus tamquam genuinum opus aliquod, aut sine idonea approbatione accusat falsi, aut sine legitima causa suspectum habet*. Cujus Dictum extollit sa. me. Bened. XIV. *lib. 3. cap. 9. in princ.* illud amplians procedere, *etiamsi altum apud Majores fuerit de ejusmadi opere manuscripto silentium*.

11 Demum quod ad *quartum* attinet, frustra Animadversiones exposcunt non modo utriusque historiæ, sed etiam ipsarum copiæ antiquitatem: Præterquamquod enim eædem copiæ ante longissimam ætatem confectæ fuerunt, eam namque Beatæ Catharinæ Periti dijudicant, confectam fuisse labente sæculo XV., veluti *in Animadvers.* §. 9., videlicet ante annum 1500., atque adeo triginta, & amplius annis ante centenariam, ac de altera copia historiæ Beatæ Julianæ, quamvis alter Peritus judicet, ut in *d.* §. 9. *Animadvers.*, quod *sia fattura non posteriore alla metà del secolo decimo sesto*: nempe ante

pe ante annum 1550. Alter vero asserat, quod *è patentemente una copia fatta verso il principio del secolo decimo settimo* = videlicet circa initium anni 1600. Quum, alterutro tempore exarata dicatur, semper certum sit, multo anteriorem fuisse Constitutione Urbana, utique ad probationem cultus admitti deberet, ad quam ipsa etiam documenta confecta decurrente sæculo ante eamdem Urbanam Constitutionem maximum fidei robur obtinent, ut docet laudatus sa.me. Bened. XIV. *cit. lib.2. cap.23. num.1.* ibi = *Nomine vero authenticorum documentorum in præsenti materia veniunt primo Historiæ conscriptæ a viris fide dignis, qui eas composuerint centum annis ante constitutionem Urbanam, vel qui* SÆCULO EODEM DECURRENTE *sua ediderint monumenta* = multo magis admitti debet ad eamdem constituendam probationem copia historiæ Beatæ Julianæ exarata decurrente centenaria, cujus autographum compilatum fuit plusquam centum annis ante Urbanam Constitutionem.

12 Verum enim vero, frustra ut diximus, Animadversiones etiam earumdem copiarum antiquitatem requirunt, non enim de exemplorum, sed tantummodo de autographorum antiquitate quæri debet.

13 Sic omnibus usquequaque submotis exceptionibus adversus prædictas historias propositis *in Animadversionibus* §. 6. *ad* 9. nunc de ipso immemorabili cultu agendo, quoad hujus *primam* speciem promanantem ex titulo *Beatarum* tributum Ven. Dei Ancillis, idem R. P. D. Fidei Promotor ingenue fatetur §. 10. *Animadvers.* illas *in supradictis Historiis hujusmodi titulo honorari*, adnotat vero ibidem, *certum non esse, an idem titulus cadat supra personas potius quàm supra mores*; imo quoad Beatam Julianam relevat, quod in *ipsius Historia raro appellatur Beata*; quod etiam verificatur de Beata Catharina, cui in *authenticis Instrumentis miraculorum*, quæ Deus illius intercessione patravit, *non semper Beatæ titulus tribuitur*, indeque §. 10. *Animadvers.* subjungit, quod cum Venerabiles Dei Ancillæ *viventes honorarentur Beatæ titulo, sic post earum obitum Auctrix Historiarum facilius eas Beatas denominavit*, ac propterea eumdem titulum produci *non posse pro argumento publici cultus*.

14 Concludentissime, ut supra, probata requisita antiquitate historiarum utriusque Beatæ, ac admisso a R. P. D. Fidei Promotore, quod in dictis historiis titulo Beatæ honoretur utraque Ven. Dei Ancilla, nullius ponderis est exceptio sæpissime ab hac Sacra Congregatione contempta, & nunc proposita, circa præfatum titulum respicientem potius mores, quàm personam; nam quicumque easdem leget historias, & instrumenta miraculorum, fateri cogetur, quod idem *Beatæ* titulus cadit non supra mores, sed supra personam, cum enim in historia Beatæ Catharinæ referantur ejus sancta gesta, & virtutes, & in authenticis Instrumentis miracula ejusdem intercessione patrata, & in historia Beatæ Julianæ non solum narrentur virtutes, sed etiam miracula, quæ Deus operatus fuit ejusdem invocatione, prout liquet *Sum. pag.* 15. *ad* 30. *pag.* 31. *ad* 34., *& pag.* 35. *ad* 40. §. 210. siquidem *dicto Sum. pag.* 32. §. 148. inter cætera legitur = *Petrus de Foliis &c. stetit per dies septem continuos &c. quod numquam comedit &c. & in iis septem diebus etiam non potuisse loqui aperte &c. vovit, & votum tale fuit, scilicet, ferre caput unum cereum, & visitare Cappellam dictæ* Beatæ *Catharinæ &c. & statim facto dicto voto suo &c. recepit sanitatem &c. Actum &c. ante sepulchrum dictæ Beatæ Catharinæ* = & *pag.* 40. §. 20. = *El Maestro, quale la sepelite &c. a che dete in una gravosa infirmitade insieme con sua muliere. Et vaxevano molto male, & secondo, che loro a noi hano dicto epsa* Beata *Soror Juliana li aparite, & confortandoli, che presto sarebeno da*

 quelle

quelle infirmitate liberi, & così fu fatto per la grazia di Dio &c. & di questa devotissima Vergine Beata *Soror Juliana* = apertisime patet, præfatum *Beatæ* titulum tributum fuisse utrique Ven. Dei Ancillæ pro absolute designanda persona illa, quæ prædictas exercuit virtutes, & cujus intercessione, & meritis sequuta fuerunt miracula, ideoque ex hujusmodi denominatione evidentisime resultat, & confirmatus remanet publicus cultus nostris Beatis Dei Ancillis per centum annos & ultra ante Urbanam Constitutionem exhibitus, sicuti firmat sa. me. Bened. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 23. *sub num.* 1. ibi = *Nomine scilicet authenticorum documentorum in præsenti materia veniunt primo historiæ conscriptæ a viris fide dignis &c. idque non solum si de cultu Servi Dei testimonium dicant, verum etiam si ejus virtutes & miracula tantummodo enarrent, ipsum appellantes Beati, vel Sancti titulo, & si denominatio ista personam dumtaxat respiciat, non mores*.

15 Nec ulla difficultatis umbra oriri potest ad obscurandam hujusmodi speciem cultus ex eo, quod non semper in iisdem historiis, & authenticis Instrumentis tribuatur Venerabilibus Dei Ancillis dictus titulus; nullibi enim requiritur, ut quoties eorum mentio fit, toties Beatæ titulus repetatur, sed utique sat est, eumdem titulum vel semel eis tributum fuisse, qui in hoc casu pluries tribuitur; & tunc quando eodem titulo denominatæ fuerunt, eum ipsarum personis tributum fuisse, ipsarumque cultum, & honorem respexisse instar ejus, qui cæteris Beatis, & Sanctis tribuitur.

16 Nilque refert, quod eodem titulo honoratæ fuerint etiam, dum in humanis degerent, prout ex simplici traditione inquit unicus Testis *cit. in Animadvers.* §. 11.; nam in præsentiarum illud tantummodo inspiciendum est, an titulus *Beatæ* post obitum eisdem tributus respiciat personas, an mores; cumque in casu nostro certum sit respicere personas ad præstandum eis cultus honorem, ut jam ostendimus, non est cur quæratur, quorum titulo nuncupatæ fuerint, dum viverent: plurimum tamen ejusmodi nuncupatio in vita faveret, ad comprobandum cultum, eis præstitum post obitum, firmum habuisse fundamentum in heroicis virtutibus, quibus viventes florebant.

17 Multoque minus obscurare valet hanc speciem cultus quoad Beatam Catharinam defectus tituli *Beatæ* in Literis Apostolicis Alexandri VI. relatis *in Animadvers.* §. 12., in quibus concessa fuit Monialibus facultas transferendi corpus Beatæ ab Ecclesia Collegiata ad propriam Monasterii Ecclesiam; nos enim in præsenti examine non petimus confirmationem cultus ex vi Apostolici Indulti, sed ex tempore immemorabili, & centenaria ante Urbanam Constitutionem, nam aliàs, si in præfatis Apostolicis Literis ea *Beatæ* nomine nuncupata fuisset, nos pro Causa hujus Beatæ non confecissemu Processum, sed modo exhiberemus præfatas Apostolicas literas, pro obtinenda approbatione Casus excepti ex Indulto Apostolico, ut fieri solet, & docet laudatus sa. me. Bened. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 5.

18 Contra alteram cultus speciem resultantem ex collocatione Corporum utriusque Beatæ supra Altare, ac ex antiqua retentione eorumdem supra terram relevat R. P. D. Fidei Promotor *in Animadvers.* §. 13., quod dicta collocatio supra Altare *sit recentissima*, quodque antiqua retentio eorumdem Corporum supra terram *careat probatione requisitæ centenariæ ante generalia Decreta, cum monumenta adducta recentia sint*, eò quòd arca, in qua conditum fuit Corpus Beatæ Catharinæ *confecta extitit anno* 1536.; arca vero, in qua collocatum fuit Corpus Beatæ Julianæ *constructa apparet anno* 1543. *quo anno extractum fuit a Sepulchro communi*; dubiumque etiam sit, *in ea fuisse repositum dictam Corpus*: imo §. 14. *Animadvers.* subdit, quod omni-

omnia sunt *magis dubia*, *& incerta*, eò quòd Mediolanensis Antistes Fridericus Vicecomes *mandavit*, *ut Servarum Dei Corpora publicæ venerationi exposita super Altare, eodem reponerentur in sepulchro, in quo antea jacuerant*, ut ex Decreto *cit.* §. 14. *Animadvers.* relato, ac demum concludit, quod cum in eodem Decreto legatur; *paucis ante annis Servarum Dei Corpora in sepulchris jacuisse*, hanc speciem cultus omnino corruere.

19 Fassi nos fuimus in nostra Informatione, quod collocatio Corporum utriusque Beatæ supra Altare, in quo modo publice coluntur, paucis ab hinc annis fuit peracta solemni pompa, & facultate Curiæ Archiepiscopalis Mediolanen., nempe anno 1729., & ex hac tantum collocatione eorumdem corporum supra Altare non petimus approbationem immemorabilis cultus; fatemur etiam, quod antiquioribus monumentis destituti sumus ad comprobandum, quod antiqua retentio Corporum utriusque Beatæ supra terram excedat centenariam requisitam, quodque solùm ex adductis monumentis constet, arcam antiquitus custodientem Corpus Beatæ Catharinæ fuisse constructam anno 1536., & arcam asservantem Corpus B. Julianæ anno 1543. ut ex judicio Peritorum; ambas paulo post editionem Constitutionis Urbanæ, at non propterea asseri valet, quod publicus cultus per centum annos ante generalia Decreta non exhiberetur Beatis Dei Ancillis, nec probari exadverso potest, necessarium esse, quod omnes species publici cultus habere debeant centenariam ante Constitutionem Urbanam, sed sat esse certum est, quod aliquæ ex speciebus dicti cultus præfata polleant centenaria, veluti desumitur ex iis, quæ docet laudatus sa. me. Bened. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 9. ibi = *pro casu excepto constituendo*, *oportere*, *ut cultus sit publicus*, *& cum celebratione festi*, *ac Missæ &c. cultum publicum ex hisce actibus importari*, *at non ita tamen*, *ut*, *si*, *hi deficiant*, *alii autem adsint publici cultus actus*, *approbatio casus excepti ex tempore immemorabili*, *vel ex alio quocumque capite nequeat obtineri &c.*

20 At prædicta cultus species non solum maximi utique est ponderis ad comprobandam, confirmandamque ejusdem publici cultus continuationem, sed longissime quidem majoris est momenti, ea perpensa ponderosissima facti circumstantia, quod prædicta sacrorum Corporum retentio supra terram comprobatissima fuit zelantissimo sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ disciplinæ Vindici Sancto Carolo Borromæo Archiepiscopo Mediolani, qui in solemni visitatione Ecclesiæ Monasterii Sanctæ Mariæ supra montem Varisium per ipsum met semel, ac iterum anno 1567., & 1574. expleta, ut patet *Summ. pag.* 64. §. 10. *& seqq.*, quamvis in rem præsentem habuisset, propriisque oculis perspexisset eadem sacra Corpora supra terram elevata, nil quicquam innovavit, sed in eo elevatiori, quo locata erant, situ reliquit. Accedit illud quoad Beatam Catharinam, quod idem Sanctus Archiepiscopus in altera visitatione jussit, ut exhiberetur legatum fundationis Cappellæ in ejus honorem jamdudum constructæ, expresso ei tributo *Sanctæ* titulo, ut in Decreto visitationis, *Sum. pag.* 64. §. 102. ibi = *Il Vicario delle Monache ne esibisca fra un mese nell'atti della visita il legato*, *o vero fondazione della Cappella di* Santa *Catarina &c.*

21 Cum autem idem S. Carolus Archiepiscopus ipse quidem sit, qui in Concilio Provinciali coacto anno 1565. *tit.* 61. *de sepult.* ita sanxit = *Non est ferenda nostri temporis insolentia sepulchrorum*, *in quibus putrida cadavera tamquam sacrorum Corporum Reliquiæ excelso*, *& ornato loco in Ecclesiis collocantur &c. hujusmodi sepulchra in excelso posita loco &c. ad tres menses amoveri*, *ac tolli*, *omnino jubemus*, *ossaque*, *ac cineres in loco sacro altius in terram defodi ita conditas*, *ut sepulchrum è solo non emineat* = Ipseque idem

idem sit, qui in quoscumque abusus removendos apostolico zelo incumbebat, ut inquit Testis IX. ex officio *Sum. pag.* 112. §. 19. ibi = *S. Carlo l'anno* 1574. *visitando la Chiesa, ed il Monastero di questo sagro Monte trovò il Corpo delle due Beate in siti alti da terra, e niente ordinò in contrario, non ostante il Decreto già enunciato del Concilio Provinciale primo, e la riferita Costituzione di S. Pio V., in quelli siti medesimi li rimurò, senza punto opporsi Monsignor di Famagosta Visitatore Apostolico l'anno* 1576. *&c.* = profecto non modo cuique veritatis cultori persuasissimum esse debet, eumdem Sanctum jam edoctum fuisse de immemorabili cultu, quo eædem Beatæ potiebantur; verum hisce ejus præclaris, solemnibusque factis, quibus prædictum cultum ratum habuit, atque ut modo diximus nuncupatione *Sanctæ* exhibuit, firmissime, justissimeque tuemur, hanc Causam versari etiam in casu excepto per scripta, & facta SS. Patrum, uti cum bo. me. Prospero Bottinio sapientissime docet sa. me. Bened. XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 19. *n.*6. *circa fin.* ibi = *Quæ postrema assertio consona videtur menti bo. me. Prosperi Bottinii Archiepiscopi Myrensis &c. qui cum ageretur de casu excepto infra memorando Servorum Dei, seu Beatorum Joannis de Perusio, & Petri de Saxoferrato, proindeque a Postulatoribus S. Antonini testimonium adduceretur de eorum morte pro Christo suscepta, sic inquit = Quartum documentum ex Chronicis S. Antonini profertur; verum in dicta Chronica minimè vocantur Beati, seu Sancti, neque ex relatis in eadem resultat aliquod signum publici cultus, & venerationis erga ipsos: QUOD SI CONCURRERET, UTIQUE HOC UNICUM TESTIMONIUM S. ANTONINI SATIS ESSET AD SUSTINENDUM, HANC CAUSAM VERSARI IN CASU EXCEPTO EX LEGE DECRETORUM GENERALIUM PER PATRUM, VIRORUMQUE SANCTORUM SCRIPTA* = Si hæc de Chronicis S. Antonini; quid de visitationibus personalibus, ac solemnibus S. Archiepiscopi Caroli dicendum sit, ponderandum relinquimus Sapientissimis Patribus.

22 Nullumque præjudicium afferre valet huic speciei cultus Decretum Archiepiscopi Vicecomitis, qui mandavit, quod Corpora Ven. Dei Ancillarum translata ad Sacellum sacrarum Reliquiarum, & supra Altare collocata reponerentur ijsdem in locis, in quibus antea condita erant; non enim alia de causa id demandavit, nisi ut removeretur proxime peracta cultus ampliatio, quam Apostolica generalia Decreta vetabant, minime vero ad quoquo modo intervertendam immemorabilem pacificam cultus possessionem, in qua reperiebantur, nam aliàs non jussisset, ut reponerentur in ijsdem locis, in quibus antea custodiebantur.

23 Neque negotium ullum facessit nobis Animadversio illa, quæ eruitur ex Decreto Antistitis Mediolanensis Friderici Vicecomitis; nam ex iis, quæ hactenus dicta sunt, clare apparet, Corpora Beatarum Virginum longe ante præfatum Decretum in loco a terra eminenti fuisse reposita; quamobrem manifestum fit Decreti verba intelligenda, & explicanda esse relate ad facta, quæ certa sunt, & dum sepulchra nominantur, in quibus paucis ante annis jacuerant Beatarum Dei corpora, illas significari urnas, certum est, in quibus sacræ exuviæ ab antiquissimo tempore repositæ, eminenti in loco supra terram retinebantur. Ex eodem insuper Decreto patet prædictorum paucorum annorum spatium haud quaquam referri ad eorumdem Corporum depositionem in sepulchris a terra elevatis, sed unice ad proxime peractam eorumdem translationem, ut in *Animadvers. pag.* 5. *in fin. & seq.* ibi = *Cum non multis ab hinc annis Corpora Ven. Catharinæ de Pallantia, & Julianæ de Busto ex sepulchris, in quibus jacebant, translata fuerint in Sacellum*

sacrarum Reliquiarum, supraque Altare &c. fuerint collocata, mandamus, eadem reponi ijsdem in locis, in quibus antea condita erant.

24 Respondere omittimus objectioni circa dubiam existentiam Corporis Beatæ Julianæ in sua propria arca, nam dubium hoc evanescit ex factis EE. Archiepiscoporum, qui utraque sacra Corpora visitarunt.

25 Tertia cultus species consistens in antiquis Imaginibus utriusque Beatæ cum signis venerationis, & cultus admittitur a R. P. D. Fidei Promotore *Animadvers. pag. 6. §. 15.* quoad Beatam Catharinam, ingenue fatendo, *plures extare Imagines eam repræsentantes cum radiis, & laureolis, easque depictas centum & ultra annis ante Urbanam Constitutionem*; quò verò ad Beatam Julianam inquit §. 16. *Animadvers.* unam tantum existere illius Imaginem *cum signis cultus depictam ante requisitam centenariam*, nam Imaginem illius depictam supra murum plateæ Capsinæ Vergheriæ *Periti ab illius antiquitatem, & corrosionem ausi non sunt certa asserere repræsentare Beatam Julianam*; & cum alter Peritus eam *depictam judicet* dal 1500. ad 1550. *incertum remanet*, an Imago hæc ætatem ad immemorabile requisitam superet.

26 Admissa a R. P. D. Fidei Promotore requisita antiquitate plurium Imaginum Beatæ Catharinæ cum signis cultus; pro eo quod respicit Imagines Beatæ Julianæ, quamvis altera tantùm, juxta sensum Animadversionum, extet ipsius Imago cum radiis, & laureolis, ac requisitam excedens centenariam, nihilominus hæc una sufficit ad ostendendum, quod eadem Beata Juliana gaudeat publico cultu immemorabili; nullibi enim sancitum legitur, quod pro confirmatione publici immemorabilis cultus alicujus Servi Dei ex tempore immemorabili comprobari debeat, plures ante requisitam centenariam adesse Imagines illius cum signis cultus.

27 At non prædicta tantum Beatæ Julianæ Imago cum signis cultus centenariam excedit; ea quoque absque ulla hæsitatione excedere dicenda est ipsius met Beatæ picta in muro plateæ Oppidi Capsinæ Vergheriæ cum laureolis, una cum Beatissima Virgine, & puero Jesu. Hoc namque de eadem Imagine judicium profert alter ex Peritis, *Sum. pag. 97. in fin. & seq.* = *Per ultimo la pittura, che è sopra muro nella piazza di questo luogo rappresenta un Imagine dipinta a fresco, ma tutta guasta, e corrosa dal tempo, vedendosi appena parte della B. V. fino alla cintura, e santo Bambino mezzo corroso, alla destra si vede una testa da giovinetta con capelli elevati, ed annodati ad un trave, o sia legno al traverso, ed intorno alla testa si vede un circolo dipinto dall' istesso Pittore, e contemporaneamente a tutta detta pittura, che si vede essere stata fatta circa il 1530. per essere della maniera del Luvini, quale in tal tempo trionfava* = Alter vero de eadem Imagine ita deponit, *Sum. pag. 100. §. 111.* = *Ho finalmente considerato il Quadro sopra il muro della Casa, che chiamano la Casa de Puricelli nella piazza di questa Terra di Cassina Verghera &c. Questa pittura è talmente logorata, che non si conosce, se non che parte della B. Vergine col Bambino, ed una testa da un lato colli capelli annodati ad un legno con un pannolino dietro al capo, colli ragi al capo della medesima testa, la quale testa &c. dicono li Popoli, che sia l'effigie della Beata Giuliana oltragiata del proprio Padre, considerata quindi questa pittura &c. la tengo per opera de secoli bassi. Io per tanto la giudico dipinta dal 1500. al 1550.*

28 Quamvis alter eamdem Imaginem ad idem ipsum tempus certo non referat, cum illud tamen satis aperte includat, ipsius ætatem statuendo ab anno 1500. ad 1550. profecto de jure pro Conteste habetur cum eo, qui certius tempus designat, itaut quoad illud uterque concors habeatur. Rot. *in rec. dec.* 187. *num.* 23.

num. 23. *par.* 11. ibi = *quod Dictum Testis non deponentis de certo tempore declaretur ex alio Teste, qui de illo deponit firmat Innoc. &c.* = & cor. Ludovis. *dec.* 344. *num.* 13. ibi = *Testis loquens confuse, & dubitative de tempore* DEBET JUDICARI CONTESTIS *cum aliis probationibus certum tempus determinantibus* = & cor. Peuting. *decis.* 213. *num.* 5. ibi = *Tollitur difficultas ex depositione alterius Testis, qui annum deponit,* CUM QUO ALTER, QUI TEMPUS IGNORAT, FIT CONTESTIS.

29 Quodque prædicta Imago repræsentet Beatam Julianam, nullum exoriri potest dubium, ultra enim quod viget de hoc communis populi traditio, veluti inquit supradictus Peritus; ponderatione etiam dignum est, quod præfata Imago picta reperitur in platea Oppidi Capsinæ Vergheriæ, in quo Beata nata fuit, in muro domus de Puricellis, cujus cognomen habuerunt illius Genitores, prout constat tum ex instantia exhibita Monialibus Sacri Montis Varisii a communi Populo Vergheriæ pro obtinenda Reliquia ejusdem Beatæ, *Sum. pag.* 106. §. 13., tum etiam ex opere insignis Cardinalis Friderici Borromæi Mediolanensis Archiepiscopi, cui titulus: *de amore virtutis*: *Proc. Apost. fol.* 1067. *ter.* ibi = *Orta est* (B. Juliana) *in Purisellorum domo apud Gallaratum Pagum in devio Loco, qui Cassina Verghera dicitur* =; atque demum ex ipsa met effigie exprimente severitatem Genitoris, qui Beatam rigidissime castigabat, eò quòd respueret mundanas nuptias ipsi exhibitas, veluti legitur in historia Beatæ, *Sum. pag.* 36. §. 171. Ex quibus omnibus ponderatis, simulque, ut in re probatoria faciendum est, conjunctis concludens probatio emergit, eamdem Imaginem vere repræsentare prædictam B. Julianam, quæ concludens probatio in antiquis, in quibus versamur, ex levioribus etiam argumentis, adminiculisque desumitur, Rot. *cor. Burat. dec.* 709. *per tot.*, coram Duran. *dec.* 511. *vers. quibus libris*; *dec.* 511. *num.* 12. *part.* 5. *rec.*, & *par.* 10. *dec.* 229. *num.* 10. ibi = *Sed quia versamur etiam in re antiqua non tam exacta requiritur probatio, cum leviores quoque probationes, adminicula, & conjecturæ undique collectæ conjungi, & recipi solent*.

30 Quoad quartam cultus speciem, quæ eruitur ex celebratione festi in honorem utriusque Beatæ R. P. D. Fidei Promotor *in Animadvers. pag.* 6. §. 19. objicit, quod hæc species cultus *destituta sit probatione ad immemorabile, nam documentum adductum caret antiquitate requisitæ centenariæ ante constitutionem Urbanam juxta judicium Peritorum*.

31 Nos ad comprobandam propositam cultus speciem, ultra Testes deponentes cum requisitis ad immemorabile, *Summario num.* 10. *pag.* 100. *& seqq.*, qui ad eam probandam omni jure sufficiunt; adduximus etiam antiquam memoriam in charta pergamena conscriptam, & appensam ad januam Ecclesiæ interioris Monasterii, in qua *Sum. pag.* 103. §. 20. sequentia leguntur *Si ricorda a voi Sorelle, come avete obbligo perpetuo d'illuminare tutte le vigilie, e feste della Beata Catarina, che viene alli 6. d'Aprile, e della Beata Juliana, che viene a' 15. Agosto, e questo per certi danari lasciati da un Gentiluomo* = Ejusmodi autem documentum, & si per hypothesim ante centenariam exaratum non probaretur, certe tamen inter documenta decurrente centenaria confecta non leve pondus ad majorem cultus confirmationem obtineret.

32 Verum enim vero non temere, aut levi conjectura ducti, sed firmiter sustinemus, idem documentum confectum fuisse ante centenariam; de ejus namque antiquitate, *Sum. cit. pag.* 103. §. 21. sic deponit primus Peritus = *Il carattere semigotico, con cui è scritto questo cartello in pergamena &c. Io non sono lontano da giudicarlo fattura di circa duecento cinquanta anni*

(nem-

(nempe anni 1516.) *tanto più che il carattere non ripugna a stabilirla in quel tempo; tuttavia io intendo qui di proferire tale giudizio per via di prudenti conghietture, e non per certezza di scienza* = Quamvis autem idem Peritus non cum absoluta certitudine certam prædicti monumenti epocham statuat, neminem autem fugit, priscorum monumentorum antiquitatem ex argumentis, & conjecturis depromi, satisque esse, Peritum ex iisdem motum animi sui ad judicium de antiquitate ferendum confirmasse; imò passim jura in hisce rebus antiquis judicium de credulitate ad fidem faciendam admittunt; de quibus Rot. *dec.* 150. *num.* 30. *& seq. part.* 12. *rec.* ibi = *Licet sit unicus, nihilominus sufficiens est ad ipsum effectum, concurrentibus adminiculis &c. Nihil refragante, quod deponat per verbum* : mi pare : , *& addat, se id pro certo non affirmare. In hac enim materia a Judicio Testis dependente adhibetur fides deponenti non solum per verbum* videri ; *sed etiam de credulitate*. Gratian. *Discept. forens.* 645. *num.* 50.

33 Alter vero Peritus in hæc verba deponit, *Sum. cit. pag.* 103. §. 22. ibi = *Essendomi presentato il cartello scritto in pergamena &c. vi scorgo la lettera iniziale S. in carattere majuscolo gotico romano &c. il restante delle lettere è in grande carattere semigotico &c. nella detta pergamena alli angoli vi sono diversi fori, dal che si comprende esser quella stata esposta, e perciò ancora molto sporca &c. E' da notarsi ancora la parola* : Juliana : *latinismo, che incominciossi a predere nelle nostre parti circa la metà del secolo decimo sesto, o anche al principio del seguente* = cum autem adducat inter alias rationes, quod = *è da notarsi ancora la parola*: Juliana ; *latinismo, che incominciossi a perdere nelle nostre parti circa la metà del secolo decimo sesto*, videlicet circa annum 1550., *o anche al principio del seguente*, nempe initio anni 1600. licet nihil certi de ipsa præcisa documenti antiquitate affirmet, satis tamen ex ejus judicio patet, eam repetendam esse longe ante annum 1600. vel potius 1550., non enim verba, quæ diu in populorum ore versata fuere, nisi post longum annorum non modo, sed lustrorum spatium obsolescunt.

34 Ad prædicti documenti antiquitatem magis magisque confirmandam magnum pondus affert hæc quatuor Monialium attestatio *in Proc. Inform. fol.* 411. *in fin. & ter. Mille seicento ottantotto a di cinque Aprile. A chiunque sarà esibita questa nostra noi sottoscritte Suor Gioanna Margarita Arrigoni, e Suor Clara Gerolama Ramponi Monache per anni cinquantatrè, & al presente Abbadessa, e Vicaria, e Suor Alma Maria Molina Monaca per anni cinquantasei, e Suor Maria Costanza Daveria Monaca per anni cinquantacinque nel Venerando Monastero di S. Maria Monte sopra Varese Diocesi di Milano facciamo ampia, & indubitata fede; qualmente quando habiamo vestito l'abito di questa Religione, & anche quando eravamo prima in educazione in questo Monastero, habiamo sempre visto affissa alle pareti della porta, per cui entriamo nella nostra Chiesa interiore, e dove anche di presente si trova, una cartapecora vecchia con scrittovi a lettere grandi le seguenti parole, cioè.* ,, Si ricorda a voi Sorelle, come avete
,, obligo perpetuo d'illuminare tutte le vigilie, e feste della Beata Catarina,
,, che viene alli sei d' Aprile, e della Beata Giuliana, che viene a quindici
,, d'Agosto, e questo per certi denari lasciati da un Gentiluomo ,, (sequuntur subscriptiones) Verum cum de anno 1630. circiter supradictæ Moniales Religioso se induerint habitu in Monasterio Montis supra Varisium, & prius ibi in educatione viventes viderint appensam januæ Ecclesiæ interioris *una cartapecora vecchia &c.*, in qua scripta erat supradicta memoria, signum evidentissimum est, quod a pluribus ante annis fuerit exarata.

35 Quintam cultus speciem, quam constabilivimus in asservatione Reliquiarum utriuſ-

utriuſque Beatæ inter Reliquias aliorum Sanctorum, ac publica illarum ex-
poſitione Fidelium venerationi, concedimus R. P. D. Fidei Promotori,
non gaudere centenario ſpatio ante ſæpecitatam Conſtitutionem Urbanam,
at iſta ſpecies a nobis deducta fuit ad juſtificandum, quod cultus erga noſtras
Beatas introductus a tempore excedente centenariam a ſa:me:Urbano VIII.
præfixam non ſolum nunquam fuit diminutus, aut interruptus, ſe quod ſem-
per cum incremento perſeveravit in præſentiarum uſque, & floride viget
cum ſcientia, & tolerantia præclariſſimorum S. R. E. Cardinalium, qui
Archiepiſcopali dignitate fulgentes ſumma ſemper cum laude, atque exi-
mio zelo inſignem rexerunt Mediolanenſem Eccleſiam. Quamobrem cum
ex hactenus ponderatis manifeſtiſſime demonſtratum fuerit; cultum publi-
cum exhibitum Beatis Catharinæ a Pallantia, & Julianæ a Buſto Arſitio inni-
xum eſſe certiſsimis fundamentis, quæ illum immemorabilem oſtendunt
per ſpatium centum annorum, & ultra ante Urbani VIII. Decreta, ac ra-
tum habitum S. Archiepiſcopo Carolo Borromæo, tutiſsime confidimus,
quod ab EE. Patribus confirmanda ſit ſenténtentia lata ſuper eodem publico
cultu præſtito Beatis Dei Ancillis a tempore immemorabili, veluti iterum
humilime ſupplicamus.

Quare &c.

Lælius Pichi.

R E V I S A

Aloyſius Gardellini Sub-Promotor Fidei.